
F. ALEXANDRI DE BURGO
MESSANENSIS
Ordinis Minorum Conventualium Theologi,
ET
IN ROMANO ARCHIGYMNASIO
Publici Eloquentiæ Professoris.

IN FUNERE
LEONIS DECIMI
PONTIFICIS MAXIMI
ORATIO
AD SERENISSIMUM
FERDINANDUM
MEDICEM
ETRURIÆ PRINCIPEM.



ROMÆ, apud FRANCISCUM GONZAGAM, MDCCX.
SUPERIORUM FACULTATE.

SERENISSIMO

FERDINANDO

MEDICI

ETRURIÆ PRINCIPI.

FR. ALEXANDER BURGÓS.



Uæ fuerit hactenus, & modo ſit Regiæ Mediceæ gentis, FERDINANDE Princeps Sereniſſime, erga liberales diſciplinas, earumdemque cultores paterna propemodum cura, ac flagrantiſſimus amor, nemo unus eſt eorum, quos bonæ literæ, atque omnis libero homine digna cognitio, vel parumper delectet, qui animo co-

gnitum, perſpectumque non habeat. Ecquis autem erit, qui quidquid eſt in bonarum artium progreſſu honoris ac laudis, Avorum tuorum beneficentiæ non referat acceptum? Illi enim primi jacentes ingenuas artes egregia liberalitate excitarunt: effeceruntque propterea, ut honeſtarum diſciplinarum ſtudia, multorum annorum tenebris penè obſcurata, aut prorſus extincta, apud omnes nationes, in Italia præſertim reviviſcerent. Quod quidem præclarum ac prope divinum opus a Coſmo proavo, & Laurentio patre inchoatum, Leo Decimus Romanus Pontifex, maximum Mediceæ familiæ decus abſolvit. Etenim ipſe fuit, qui accitis undique bonarum artium profeſſoribus, jiſque magnis propoſitis præmiis, ad egregium hoc & laudabile inſtitutum invitatis, Romanum Archigymnaſium ita inſtauravit, ut pulſa penitus barbarie, & ſplendor omnis Eloquentiæ, & dignitas Philoſophiæ omnis, omneſque

ſacræ

ſacræ humanæque diſciplinæ in eo reflorerent: atque inde tamquam a capite in reliqua Chriſtiani Orbis Gymnaſia optimus liberalium ſtudiorum ſuccus ſeſe diffunderet, ac redundaret. Hujus ego munificentiſſimi Pontificis laudes, quas eidem in perpetuum grati animi monimentum quotannis Romana Academia anniverſaria commemoratione perſolvit, recenſere hoc anno, Patrum ampliſſimorum imperio, qui rem literariam maxime curant, aggreſſus ſum. Quod quidem munus quum brevi oratione, quantum potui, diligentius præſtitiſſem; hanc laudationem typis evulgare, ac Tibi, Sereniſſime FERDINANDE, inſcribere jure ac merito duxi. Vulgatus enim & pervagatus rumor eſt, Te clariſſimorum Avorum exemplo commotum, optimarum artium patrocinium ſuſcepiſſe: ſtudioſos egregiosque literarum profeſſores fovere impenſiſſime; eorumque familiaritate vehementer delectari. Tibi enim ſum-

mam juvandi generis humani voluntatem Deum tribuiſſe, omnes, qui Te noverunt, affirmant. Itemque illud affirmant, ædes tuas (quod fuit olim de domo majorum tuorum a Paulo Jovio veriſſime ſcriptum) munificentiæ, jucunditatis, elegantiæ, virtutumque omnium tamquam officinam bonis viris patere univerſis, literatis præſertim, ac eruditis. Igitur in tuam cedit laudem, Princeps Celſiſſime, quæ de laudibus Leonis Decimi hîc a me inſtituitur Oratio: quum Tu ampla omnia, præclara omnia a Leone Pontifice geſta, glorioſa quadam æmulatione repræſentas. Nihil enim agis, quam quod grande ſit & magnificum. Quæ cum ita ſint, Orationem hanc meam Tibi, ut vides, tot de cauſis debitam, peramanter accipe, Princeps Sereniſſime, a me quidem animo quam obſequentiſſimo oblatam. Hac profecto & gratam Leonis Decimi memoriam in Romana Academia, quæ illum Pontificem, ut

Paren-

Parentem optimum ſuſpexit, ſuſpicietque ſemper, nomine eorum, qui optimas quaſque artes profitentur, inſtauro: & meam item erga Te peculiarem obſervantiam aliquo pacto teſtatam facio. Veniet autem illud, ut ſpero, tempus, quum pro collatis a Coſmo Magno Duce Parente tuo optimo ac piiſſimo Principe beneficiis innumeris in conſanguineos popularesque meos, (hi ſiquidem per fatales bellorum tempeſtates miſerrimè olim patrium vertere ſolum coacti in auguſto Mediceæ pietatis ſinu tranquillam ſtationem invenerunt) uberiora dabimus grati animi teſtimonia. Nunc, ut ad unum, tota quanta eſt, meorum votorum ſumma redigatur, Deus Optimus Maximus, quod enixe rogo, Te, Princeps Magne, quam diutiſſime ſervet incolumem.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. de Zaulis Archiepiscopus Theodosiæ Vicesger.

IMPRIMATUR,

Fr. Jo: Baptista Carus Magister, & Socius Reverendissimi P. S. Apost. Pal. Magistri, Ordinis Prædicatorum.

IN FUNERE

LEONIS DECIMI

PONTIFICIS MAXIMI

ORATIO.



UUM mecum ipſe reputarem, Patres Illuſtriſſimi, quid potiſſimum dicendo afferre poſſem, quod & animos veſtros ad gratam Leonis Decimi Pontificis Maximi memoriam opportunius revocare,& rerum præſtantiſſimarum à munificentiſſimo Principe olim geſtarum laudes quoquo modo complecti valeret; multa mihi, & illuſtria quidem ſingula, ante oculos obverſabantur argumenta. Quæ vero dudum a deſertiſſimis viris & diligentius occupata, & magno ſublimis Eloquentiæ apparatu tractata luculentius, ſpem omnem eorumdem argumentorum locos ſtrictim curſimque brevi hoc tempore, quod ad dicendum tribuitur, pro dignitate retractandi, nedum mihi omnium oratorum inſantiſſimo, verum etiam cuique facundiſſimo prorſus eripere animadvertebam. Quam ob rem plane intelligebam, Auditores, quam difficilis mihi deliberatio eſſet, inter tot tantasque virtutes unam illam ſeligere, quam aliquo pacto extollere poſſem: quamque arduum, ac periculoſæ plenum aleæ negotium ſu-

bire cogerer, qui de laudibus Leonis Decimi orationem instituere contenderem; præsertim quum in hac certatim palæstra viri omnium eruditissimi disertissimique summa cum laude hactenus insudarint. Quare tacuissem libenter, ut pudor mihi a natura tributus admonebat; neque in hunc locum, qui eloquentissimis viris semper patuit unquam descendissem, nisi me ad dicendum Patrum amplissimorum auctoritas coegisset. Pareo itaque, ut debeo, auctoritati vestræ: atque illud eligam dicendi argumentum, in quod me diu cogitantem & loci & temporis, & communis officii ratio recte opportuneque duxit; ut nimirum quanta fuerint à liberalissimo Pontifice, instaurata hujusce Accademiæ amplitudine, in bonas artes, in Rempublicam, in Religionem ipsam collata beneficia, vobis ita demonstrem; ut quamquam non novo quodam & inusitato, vero tamen genere laudandi, non tam beneficii auctorem, quam beneficium ipsum laudibus videar cumulare. Quam laudationem accomodatam huic tempori, vobis fore confido jucundissimam; utpote quæ maxime faciet; ut insignis beneficii recordatione grata in animis vestris beneficentissimi Pontificis memoria nunquam intermoritura reviviscat.

Et sane perquam amplum hujus laudationis aditum nobis aperit Paulus ille Jovius Nucerinus Antistes, qui de vita & gestis Leonis Decimi singulari sua facundia ac plane Romana, commentarium reliquit. Inter enim ea, quæ de Leone Pontifice hominum memoriæ prodidit clarissima facinora, illud præ ceteris eminere scripsit: *Quod Romanum hoc Gymnasium*

acci-

accitis undique graviſſimarum artium profeſſoribus ita inſtauravit; ut neque Bononienſi, neque Patavino, vel Doctorum præſtantia, vel auditorum concurſu concedere videretur. Quo quidem beneficio, neſcio an aliquid illuſtrius, aut utilius bonis unquam artibus contingere potuiſſet. Etenim ab Urbe omnium domina per varias temporum acerbitates bonarum Artium ſtudia tamquam e ſede ſua longe deturbata, iniquas fortunæ vices diu multumque deploraverant, quum Leo Decimus priſtinam earumdem Artium faciem ſquallore ac mærore poſito, ſplendidiorem, vividioremque reſtituit: lacrymas abſterſit: atque huc illuc errantes muſas non ſolum in antiquum hujus Urbis domicilium, verum etiam in majorem gloriam, in amplioremque dignitatem poſtliminio revocavit. O lætiſſimam, atque fauſtiſſimam bonis Artibus diem! qua nobiliſſimæ divinæ mentis alumnæ, univerſæque eruditionis & humanitatis magiſtræ ad priſtinum gloriæ faſtigium pervenerunt; ubi regiam illam honoris ac celebritatis adipiſcendæ viam hactenus interclusam Leo Decimus aperuit: atque omnibus ſcientiarum aſſeclis, ut meliora in dies ſperarent, ſignum aliquod ſuſtuliſſe viſus eſt. Parietes, parietes hujus Gymnaſii cernere erat, Auditores, quaſi præ gaudio geſtientes, bonasque artes ſibi ipſis invicem gratulari: & liberalium ſtudiorum vindici ac ſtatori gratias agere, arasque ponere, quod brevi tempore ejus beneficio veterem celebritatem eſſent conſecuturæ. Et jam Philoſophiæ Peripateticæ vigor Auguſtini Sueſſani conatibus invaluerat: jam medicæ artis peritia Criſtophori Aretini induſtria revixerat: jam decus Juriſ-

pru-

prudentiæ Hieronymi Buttigellæ laboribus inclaruerat: jam literarum humaniorum, atque Eloquentiæ ſplendor Jani Parrhaſiii Conſentini ſtudio refloruerat: jam græcæ literæ patriis a finibus extorres Baſilii Calchondylis opera in Latium commigrarant. Hoſce ſiquidem doctiſſimos homines ad hujus Academiæ famam longius extendendam Leo Decimus magnis propoſitis præmiis invitarat: quos jam pridem veluti Parens optimus maximis beneficiis ipſe aluerat, ut illorum opera ac diligentia optimarum artium ſtudia pene ab interitu vindicaret. Quod quidem ab eo bene ac ſapienter inſtitutum illum eumdem exitum habuit, quem ipſemet animo præconceperat. Exuta enim veteri barbarie novum inde lumen acceperunt & Medicina, & Jurisprudentia, & Philoſophia univerſa, & ſacrarum denique literarum inter ceteras Princeps Theologica diſciplina. Hinc profecto intelligitis Auditores, quanta ſint hoc uno beneficio in bonas artes a Principe liberaliſſimo collata ornamenta. Iſtud vero munus & excellentiſſimum, & diviniſſimum, quibus laudibus efferre, quibus ſtudiis proſequi, qua demum grati animi memoria complecti poſſimus, plane non video. Cujus enim unquam tantum erit ingenii robur ac tanta dicendi ars, tantaque copia, ut præclara hæc Leonis Decimi in bonas artes beneficia, omnia quidem ad gloriam communeque commodum facta non jam dicam exornare, ſed enarrare hoc tempore poſſit? Nam ſi quis unquam fuit hac in Urbe rerum præſtantiſſimarum inſtaurator ac vindex, is Leo Decimus fuit, qui digniſſimus eſt, ut ampliſſimis laudibus commendetur memoriæ hominum ſempiternæ.

næ. Ille quippe mirifica beneficiorum largitate, & jacentes bonas artes erexit; & hunc celeberrimum atque ornatissimum sapientiæ locum ad tantam gloriam provexit, ut omnes, quotquot literarum fama floruerunt, Academias antecelleret. Verum quæ sunt expressiora & illustriora videamus: atque istud Leonis beneficium quam late pateat attendite. Fuit enim majus, quam vulgus hominum putat, bonum istud in omnes Reipublicæ partes sese diffundens, isthæc scilicet bonarum artium instauratio. Nam quod putatis fuisse Leonis consilium, quum hunc locum veluti sapientiæ arcem erexit, nisi ut firmamentum religionis; ut Reipublicæ præsidium; ut civium utilitates & commoda in eo constitueret? Nisi ut Romæ haberemus sapientissimos omnium scientiarum magistros, qui florem juventutis nedum Romanæ urbis, sed orbis propemodum universi ad hanc veritatis magistram confluentis, cum humanis tum divinis literis liberaliter educarent? Noverat prudentissimus Pontifex quanta ex bonarum Artium studiis in Rempublicam præsentissima commoda promanarent. Noverat vel exemplo suo, in quales quantosque viros ad obeunda Reipublicæ munia, atque ad artes omnes probe egregieque exercendas adolescentes evaderent, qui fuerint optimis literis maturius imbuti, & doctorum hominum societate, ac disciplina diutius cicurati. Ipse enim Pisis in Gymnasio ab Laurentio Patre instructo primus egregiam juri sacro ac civili addiscendo sub celeberrimis præceptoribus operam navavit. Ipsemet ab ineunte ætate clarissimis græcarum & latinarum literarum professori-

bus

bus (hi enim in Bibliotheca , quæ erat veluti quidam thesaurus antiquitatis , ac maximum paternæ domus ornamentum , græcis latinisque codicibus abunde referta , frequentes erant) Pico scilicet Mirandulano , Angelo Politiano , Marsilio Ficino , Christophoro Landino , Joanne Lascari , Demetrio Calchondyle , Marullo Tracaniote ; aliisque & doctissimis & probatissimis viris tamquam familiaribus , & quotidianis convictoribus usus est : quorum contubernio magna illa , quæ in eo erat vis ingenii liberalis , atque ingentis & regii spiritus indoles mirum in modum exculta ad summum perfectionis apicem felicissime pervenit . Hic ergo scopus , hæc mens Leoni fuit , in hujus amplissimi loci instauratione , Patres Illustrissimi : ut nimirum ex eo , tamquam ex Minervæ palæstra viri exsurgerent publicæ utilitati vere consulturi . Erat quippe in Leone Decimo nedum erga literas , bonasque artes , verum etiam erga subditorum commoda amor flagrantissimus : quem quidem amorem a pulcherrimis ac maximis avorum exemplis hæreditario quasi jure sibi relictum pene cum lacte altius imbiberat ; uberius vero aluit in principatu , quam quisquis alius , ita ut non tantum cum Cosmi proavi , ac Laurentii Patris beneficentia certarit , quamquam illi hac una peculiari laude sibi & posteris claritatem parere studuissent , verum etiam illos in hoc liberalitatis stadio longe & multum anteiverit . Ipse enim ad provehenda , atque exornanda & optimarum artium studia , & Civium commoda longe omnium liberalissime animum statim ab initio Pontificatus convertit ; & a majoribus

bus acceptam munificentiæ laudem singulari accessione cumulavit : quo nihil in Principe ornatius; nihil magnificentius ; divinius denique nihil . O beatissimam , o vere Regiam Medicum gentem , quæ omni virtutum genere ornatissimos Principes posterorum serie nunquam interrupta procreavit ! Quod enim de Evagoræ familia olim scripserat Isocrates : *In aliis scilicet familiis alios præstantiores , alios deteriores inveniri ; Evagoræ vero in familia omnes omnium fuisse celeberrimos* , id de Medicum gente si quis dixerit , jure ac merito dixerit .

Verum Leo Decimus , quo in uno virtutes , non ut in aliis quibusdam mediocres , sed singulæ fuere excellentes , cunctos , qui in gente Medicea Principes virtutum fama inclaruerunt , lato post se intervallo reliquit : hac una præsertim erga literarum studia munificentiæ virtute ; qua longius ac latius illarum commoda in omnes omnium gentium homines ex hocce christiani orbis capite derivavit . Laudent igitur alii in Leone Decimo singularem in adversis numquam fracti animi constantiam : laudent in prosperis moderationem : in agendis prudentiam & sagacitatem laudent . Laudent erga res sacras pietatem ac religionem . Laudent in extruendis ad ornamentum Urbis & commodum publicis ædificiis magnificentiam . Laudent denique in singulis ab eo rebus gestis excelsam quamdam regiæ indolis magnanimitatem . Has , inquam , virtutes celebrent alii : fuere enim in Leone eximiæ ac prope divinæ virtutes . Mihi vero , qui non jam omnes , sed vix aliquot ex jis per huius temporis

poris angustias enumerare possum, unam hanc dumtaxat erga bonarum Artium studia munificentiæ virtutem adumbrasse sit satis. Siquidem ex hac una innumera propemodum, eaque maxima non in artes ipsas tantummodo, non in Rempublicam tantum, verum etiam in religionem ipsam beneficia profluxerunt. Etenim restitutis Romano in Gymnasio bonarum Artium studiis, non solum hujus loci dignitatem & gloriam: non Civium commoda solum; sed religionis etiam decus, & fulcrum; sed Romanæ Sedis amplitudinem; sed Sacrarum Scripturarum auctoritatem à Leone Decimo conservatam, ac restitutam videmus. Dolebat enim, ac vehementer angebatur Ecclesia quum videret græcas latinasque literas maxime florere apud Heterodoxos prophanosque homines, qui sane iis in Religionis perniciem abutebantur. Dolebat, quum videret Ebraicam linguam, aliasque, quæ ad interpretationem Sacrarum Scripturarum potissimum faciunt, Ecclesiæ hostes callere; veritatis autem assertores vix a limine salutare. Dolebat, inquam, ac vehementer angebatur Ecclesia, quum videret sacræ Theologiæ studia ab Artium optimarum præsidiis, quibus ea tempestate adversus Lutheranæ perduellionis impetum munienda erant, penitus destituta. Sed ecce tibi Leo Decimus, qui malo huic medicas manus adhibuit; qui intermissa linguarum studia restituit: qui solidam tradendæ Theologiæ methodum ex Sacrarum Scripturarum fontibus derivatam, Romano in Gymnasio renovavit. Quam quidem optimam sacrorum studiorum ducem ex hoc

noſtro omnium Principe Archigymnaſio , reliqua Chriſtiani Orbis Gymnaſia ſibi imitandam honoris loco duxerunt ; Tridentini vero Patres & ſapienter illam probarunt ; & apud omnes vel inſtituendam, vel retinendam utiliter præceperunt . Quæ cum ita ſint , plane videtis , Auditores , quam late pateat iſtud in bonas artes , in Rempublicam , in religionem ipſam a Leone Pontifice collatum beneficium . Nullum propterea, affirmare auſim, inter ejus præclara facta fuiſſe , quo laudem ampliorem promeruerit ea, quam hujus loci inſtauratione Leo Pontifex conſecutus eſt . Itaque hujus apud nos beneficii fidelis memoria vigeat , Auditores , ejusque commemoratio perpetuum ſit in Leone Decimo veræ laudis argumentum . Quæ enim extant marmore, vel ære inſculpta monimenta Leonis Decimi , illa quidem aliquando conficiet & conſumet vetuſtas: ſiquidem caduca ſunt & mobilia . Sed grati animi ad poſteros mandata anniverſaria oratione recordatio magis ac magis in dies ita effloreſcet , ut diuturnitas non detrahat laudibus Leonis Decimi , ſed majus afferat incrementum . Faxit Deus, ut qui modo Leonis Decimi & ingenium ergo bonas artes , & amorem mirifice exprimit Pontifex Clementissimus, ejusdem cum illo non ampliſſimæ ſolum ac diviniſſimæ dignitatis hæres , verum etiam & munificentiæ , & liberalitatis, diſiecta ac penitus fugata acerbiſſimorum temporum procella , eaſdem ipſe bonas artes , quemadmodum ille, ornare ac fovere, ut in animo habet, reapſe poſsit . Interea noſtrum erit , Auditores, in illam potiſ-

potiſsimum curam incumbere ; ut optimum in uſum, & LEONIS DECIMI , & CLEMENTIS UNDECIMI beneficia convertamus . Id vero plene effecerimus , ſi optimarum artium ſtudia ita excoluerimus , ut imitari agros fertiles videamur , qui multo plus afferre ſolent , quam acceperint .

F I N I S.